xxi. c. nrb

Vidit illum discipulum quem diligebat ihesus sequentem et qui
recubuit in cena super pectus eius et dixit Domine quis
est qui tradet te Hunc ergo cum vidisset petrus dicit
ad ihesum Domine hic autem quid Dicit ei ihesus Sic eum volo
manere donec veniam quid ad te tu me sequere Exivit
ergo sermo iste inter fratres quod discipulus ille non moritur Et
non dixit eis ihesus quia non moritur sed sic eum volo ma-
nere donec veniam quid ad te Hic est discipulus ille qui
testimonium perhibet de hiis et scripsit hec et scimus quia
verum est testimonium eius

Hic ostenditur quod xpus contulit Johanni Et dividitur in duas quia primo
ponitur commendacio discipuli 2o sui elucidacio ibi Hic est discipulus
Prima in duas quia primo ponitur commendacionis occasio 2o ipsa comme(n)-
dacio ibi Dixit ei ihesus Circa primum sciendum quod occasio huius
fuit verbum petri querentis de Johanne quod exprimitur cum dicitur
et cum hoc dixisset scilicet ihesus petro imponens pastorale officium
et sue passionis exemplum dixit ei sequere me sicut enim in
veteri testamento prophete significabant aliqua verbis et aliqua
factis ut supradictum est primo capitulo Igitur xpus postquam verbo im-
posuerat petro pastorale officium ut ei predixerat suum mar-
tirium incepit ire et ex tunc dixit petro sequere me scilicet ge-
rendo vices meas in duobus predictis et per illam sequelam corporalem
significabat idem quod prius petro per verba expresserat Con-
versus petrus vidit illum discipulum quem diligebat ihesus sequentem
quare separatur ne post xpm sicut et petrus qui et recubuit in
cena super pectus eius et cetera Per hoc autem patet quod iste fuit Johannes
qui scripsit ista non ad sui iactantiam sed ad ostendendum petri ex-
cellentiam cui xpus commendavit ecclesiam magis quam Johanni qui primus erat
ita familiaris sibi Hunc ergo cum vidisset petrus dixit ihesu domine
hic autem quid Diligebat enim petrus ipsum Johannem speciali dilectione ut
supradictum est 13 capitulo precedenti et ideo volebat habere eum in socium in
placionis officio et martirio et ideo dixit Domine hic autem quid
quasi dicat bonum esset quod iste adiungeretur in socius Dixit ei ihesus Postea
occasione ex verbis petri 2m ponitur beneficium collatum Johanni
cum dicitur Sic eum volo manere Occasione huius verbi dixerunt aliqui
quod Johannes non est mortuus sed cum enoch et helya translatus est
in paradisum Alii autem dixerunt quod in sepulchro suo iacet dor-
miens ex hoc accipientes signum quod in sepulchro eius videtur quedam
scaturigo mane per modum ebullicionis surgere et dicunt quod hoc
causatur ex anhelitu eius Verumtamen quia statutum est hominibus semel
mori ut dicitur ad hebr. 9 Ideo dicunt ipsum circa finem mundi
cum xpo passurum propter hoc sequitur Donec veniam scilicet in fine
mundi ad iudicium sed ista improbat Augustinus per hoc quod illud quod Augustinus
hic dicitur a salvatore de Johanne dicitur tamquam privilegium seu bene-
ficium speciale Johanni concessum secundum vero dictum eorum hoc non esset verum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_122/0969

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG